

evota potenti.¹
 mnes, laetique fa-
 [cessunt
 cat, patriaeque re-
 [messo
 anum illinc dissita
 [classis
 no illabitur aestu:
 ta remige naves
 insuper ulla labo-
 [rum
 n velocior euro,
 ante sub undas,
 il iam visa per al-
 [tum
 orus omnis anhela
 que innuba proles
 is pontibus, aequa
 er stratum tramite
 [ferrum,
 Castra usque ve-
 [tusta
 est, monumenta hy-
 [menaei.²
 rasque iacentis
 m tetigere secundo
 sertisque decorae
 es, variaque vocatis
 amor, mille oscula
 [figunt,
 tres et vulgus iner-
 [mum.
 e per gaudia pom-
 [pae
 munere donant.

primam mensis Octobris.
 uiae sunt in littore maris,
 etudine Alfonsi illius Ma-
 cum Lucretia ab Allanio.
 turris Octavae, quibus no-
 ssa.

NARI, Sponsor.


LOTTIS VATICANIS.

ALMA ROMA



QVIDQVID NON
 POSSIDET ARMIS
 RELIGIONE
 TENET

C. DEL VECCHIO.



NUMMARIA MENSA ROMANA

(BANCO DI ROMA)

SOCIETAS ANONYMA EX SOLUTA SUMMA LIBELL. 150.000.000

Sedes caput et suprema gubernatio Romae in propriis aedibus
Corsò Umberto I, N. 307 (Piazza S. Marcello)

Sedes aliae:

In Italia: Alba - Albano Laziale - Anagni - Andria - Anzio - Aquila - Arezzo - Assisi - Aversa - Avezzano - Bagni di Lucca - Bagni di Montecatini - Bari - Bibbiena - Bologna - Bolzano - Bra - Brescia - Camaiore - Campiglia Marittima - Canale - Canelli - Carate Brianza - Carrù - Castellamonte - Castelnuovo di Carfagnana - Cecina - Celano - Centallo - Ceva - Chiusi - Città di Castello - Como - Cortona - Cuorgnè - Fabriano - Fermo - Firenze - Foiano della Chiana - Foligno - Fossato - Frascati - Frosinone - Gaiole in Chianti - Genova - Grosseto - Gubbio - Intra - Ivrea - Livorno - Lucca - Luserna S. Giovanni - Marciano Marina - Merano - Messina - Milano - Mondovì - Montesampietrangeli - Napoli - Nocera Inferiore - Norcia - Orbetello - Orvieto - Pagani - Pallanza - Pietrasanta - Pinerolo - Piombino - Pontecagnano - Pontedera - Portoferraio - Porto S. Giorgio - Potenza - Roma - Salerno - Sansevero - Segni (Scalo) - Siena - Tagliacozzo - Tivoli - Torino - Torre Annunziata - Torre Pellice - Trento - Trieste - Velletri - Viareggio - Viterbo.

Apud Italicas colonias: Bengasi - Tripoli.

Apud exterbas gentes: Parigi, Lione in Gallia - Barcellona, Tarragona - Montblanch in Hispania - Lugano, Chiasso in Helvetia - Alessandria, Cairo, Port Said, Mansourah, Tautah, Beni, Mazar, Beni Soueff, Bibeh, Dessouk, Fashn, Fayoum, Kafr El Chelkh, Magagha, Mehalla Kebira, Minieh, Mit Gamr, Zagazig in Aegypto - Malta in insula Melita - Aleppo, Alessandretta, Beyrouth, Caiffa, Damasco, Giaffa in Syria - Gerusalemme in Palaestina - Costantinopoli in Turcarum imperio - Smirne in Asia Minore - Rodi in Aegeo mari.

Omnia pertractantur quae propria Mensae Nummariae sunt.

Pro "ALMAE ROMAE,, Sociis

apud Commentarii Administratorem opuscula latine scripta venum dantur,
 pretio quod sequitur:

JOSEPHI FORNARI **Fridianus** et **Francisculi prandum**, Milesiae fabulae scenis accommodatae apud ephebea facile agendis. - Singulæ lib. 1,25; ambae lib. 2.

HERMINII IACOBELLI **In campo latinitatis novi flores**. - Si tegumento solut. lib. 2; si xyлина structura aureoque titulo, lib. 3.

I. B. FRANCESIA **Saturio, Euplius, Ad Romam**, Actiones dramaticæ. - Singulæ lib. 1,25; omnes lib. 3.

I. ANTONELLI-COSTAGGINI **Arrhae Gorgoniae**, Milesia fabula. - Lib. 1.

Pretium annuae sub
 doll. 2,40; sh. 10
 rem, *Romam, V*

CATHOLIC
 de liberatione

Quum, in hisce
 gaudiis, recolat
 qui ab inferis vi
 e captivitate lib
 veterrimam Patr
 quod plures rece
 castris, conati si
 vertere.

Iam Vetus Tes
 Messiae opus: « p
 sionem»,¹ quam p
 cat Christus.² Doc
 cipem huius mun
 iudicatum.³ Nec
 S. Paulus: « Qui
 tenebrarum et tr
 dilectionis suae ..
 patus et potestat
 palam triumphat
 Ut per mortem a

¹ ISAI., LXI.

² LUC., IV, 19.

³ IOANN., XII, 31,

⁴ Colos., I, 13.

⁵ Colos., II, 15.

riis aedibus

zo - Assisi - Aversa -
 Bolzano - Bra - Brescia
 Castellamonte - Castel-
 stello - Como - Cortona
 o - Frascati - Frosinone
 ucca - Luserna S. Gio-
 npietrageli - Napoli -
 - Pinerolo - Piombino
 - Salerno - Sansevero
 orre Pellice - Trento -

ntblanch in Hispania -
 eni, Mazar, Beni Soueff,
 eh, Mit Gamr, Zagazig
 masco, Giaffa in Syria
 Asia Minore - Rodi in

ariae sunt. ☩

Sociis

a venum dantur,

dium, Milesiae
ndis. - Singulaeres. - Si tegu-
ulo, lib. 3.

Actiones drama-

fabula. - Lib. 1.

ALMA ROMA

LATINITATIS PRAECONIUM SINGULIS MENSIBUS EDITUM

Pretium annuae subnotationis (fasc. 12) est in Italia libell. 9; ubique extra Italianam libell. 12 (fr. 12;
 doll. 2,40; sh. 10, etc.); ante solvendum rectoque tramite mittendum ad IOSEPHUM FORNARI docto-
 rem, Romam, Via del Governo Vecchio, 96.

CATHOLICA TRADITIO
de liberatione hominis per Christum

Quum, in hisce paschalibus solemnii et gaudiis, recolat orbis triumphum Christi, qui ab inferis victor ascendit, et nostram e captivitate liberationem, iuvat referre veterrimam Patrum doctrinam; eo magis quod plures recentiores, e rationalistarum castris, conati sint illam traditionem pervertere.

Iam Vetus Testamentum praedicit illud Messiae opus: «praedicare captiuis remissionem»,¹ quam prophetiam sibimet applicat Christus.² Docet quoque Dominus principem huius mundi *eiici foras* iamque esse *iudicatum*.³ Nec minori vi asserit idem S. Paulus: «Qui eripuit nos de potestate tenebrarum et transtulit in regnum Filii dilectionis suae...»⁴ Et *exsoliens* principatus et potestates, traduxit confidenter, palam *triumphans* illos in semetipso...».⁵ Ut per mortem *destrueret* eum qui habe-

bat mortis imperium, idest diabolum, et liberaret eos qui timore mortis per totam vitam obnoxii erant servituti ».⁶

Contendunt porro recentiores « protestantes », cum Ritschl, Harnack, Sabatier, Patrum veterum traditionem ad id tandem reduci, quod redemptio fuerit pretium *diabolo* solutum, ita videlicet ut Patres totam redemptionem reponant in quodam pretio, quod Christus solvisset diabolo.⁷

Obiiciuntur Origenis verba, quibus ille innuit Christum diabolo tradidisse corpus et animam in nostram redemptionem.⁸ At illi textus, etsi minus recti et merito culpandi, non exprimunt integrum Origenis mentem, quippe qui alibi veram doctrinam profitetur, dum asserit Christum *Deo immolasse sacrificium suavitatis*.⁹

Nendum fuerit illa doctrina in primaeva Ecclesia communiter recepta, imo expresse confutetur, liquet ex opere *de recta in Deum Fide*, quod ad finem saeculi III refertur, et in quo *blasphema* vocatur opinio quaecumque vult fuisse diabolo tradi-

¹ ISAI., LXI.² Luc., IV, 19.³ IOANN., XII, 31, XVI, 11.⁴ Colos., I, 13.⁵ Colos., II, 15.⁶ Hebr., II, 14-15.⁷ Cf. A. SABATIER, *La doctrine de l'expiation et son évolution historique*, p. 90.⁸ ORIGEN., *In Matth.*, XVI, 6; *P. G.*, XIII, 1397-1400.⁹ ORIGEN., *In Levit. Homil.* I, n. 2; *P. G.*, XII, 408.

tum Christi sanguinem, ut hominum pretium.¹

S. Basilius, per modum concessionis, fatetur fuisse daemonic solutum pretium, ut hostis ille praedam dimitteret; at simul docet passionem Christi esse verum sacrificium Deo ipsi oblatum pro nostris delictis.²

S. Gregorius Nyssenus ea quidem similitudine utitur: dum diabolus appetit pretium et instar voracis piscis Christum hominem invadit, hunc divinitatis capit, et ita ars divina inimici artem fallit.³ Sed alibi idem Gregorius reponit Sacerdotem magnum obtulisse *Deo*, loco hominum, sacrificium et pretium.⁴

Inde colligitur illos Patres, dum concedunt aliquod pretium fuisse daemonic solutum, nolle in illo conceptu reponere integrum redemptionis indolem; quia simul recolunt passionem Christi esse verum sacrificium *Deo* pro nobis oblatum.

Alii autem Doctores illam opinionem reiiciunt. Imo, S. Gregorius Nazianzenus blasphemum habet qui reputet diabolum accepisse a Deo pretium;⁵ et pariter, iuxta S. Ioannem Damascenum, nequit sanguis Christi offerri tyranno: quia enim in Deum proprie fit peccatum, soli Deo est solendum pretium.⁶

Quocirca, historia teste, constat opinionem illam *de iuribus diaboli*, ut aiunt, nunquam fuisse in Ecclesia catholica admissam aut receptam.

¹ Cf. P. G., XI, 1757-1758.

² S. BASIL., *Homil. in Ps. LXVIII*, 3, 4; P. L., XXIX, 437-440.

³ S. GREGOR. NYSSEN, *Orat. catech. magn.*, 22 ss.; P. G., XLV, 60-69.

⁴ S. GREGOR. NYSSEN, *De occurso Domini*; P. G., XLVI, 1661-1665.

⁵ S. GREGOR. NAZIANZ., *Orat. XLV*, n. 22; P. G., XXXVI, 638.

⁶ S. IOANN. DAMASC., III, *De Fide Orthod.*; P. G., XCIV, 1096.

* * *

Verum alia celebrior exstitit; nempe *de abusu potestatis*, quaeque sic potest paucis exponi: « Homo, suggestionem diaboli audiendo et sequendo, meruit effici eius servus, ac subinde, iusto Dei iudicio, diabolus constituitur hominis lapsi tortor. Quamdiu sonentes tantum caedit, qui rei sunt mortis, utitur quodammodo potestate sibi relicta; at simul ut impetrat innocentem, nullius delicti reum, iam limites sibi praefixos manifeste excedit, verumque abusum committit; et hinc potestate illa iustissime privatur. Quum ergo diabolus mortem innocentis Christi machinatus sit, eo ipso amissit potestatem in homines, qui eapropter morte Christi liberantur a daemonis servitute et tyrannide ».

Haec est sententia, quam diversimode proponunt insignes Ecclesiae Doctores, ut S. Chrysostomus, S. Cyrillus Alexandrinus, S. Augustinus, S. Gregorius Magnus.¹

Scilicet non propugnant illic pretium fuisse daemonic solutum, nec daemonicum obtinuisse iustum in homines potestatem, sed vivide exprimere intendunt quomodo antiquus hostis, sua propria culpa suaque iniustitia, in Christum innocentem insurgendo, fuerit officio tortoris privatus. Quapropter S. Thomas explicationem illam ex S. Augustino sic exprimit: « Passio Christi nos a diabolo liberavit, in quantum in passione excessit modum potestatis sibi traditae a Deo, machinando in mortem Christi, qui non habebat meritum mortis, quem esset absque peccato ».²

Quae interpretatio per modum hypothesis dumtaxat inducitur: supposito nempe,

¹ S. CHRYSOST. *In Rom.*, XIII, 5; P. G., LX, 514; S. CYRILL., *In Ioan.*, lib. VI; P. G., LXXIII, 814; S. AUGUSTINUS, lib. IV *de Trinit.*, c. XIII, et lib. XIII, c. XII; P. L., XLII, 900, 1026; S. GREGOR. M., *Moral.*, II, 22, 41; P. L., LXXV, 575 ss.

² S. THOM., P. III, q. 49, a. 2.

seu admisso diabolum fuisse constitutum proprie hominis tortorem, jam machinando Christi mortem, iustissime ab illo officio depellitur.

Verum nunquam fuit diabolus legitimus hominum dominus, et, licet Deus merito permiserit homines a daemonibus castigari, nunquam obtinuit diabolus ius in homines proprie dictum. Quocirca animadvertisit apposite Angelicus Doctor: « Quamvis iniuste quantum in ipso erat, hominem sua fraude deceptum sub servitute detineret ».¹

Quum igitur nullam in nos obtainuerit veram potestatem, potuisset ille tyrannus eiici foras, tametsi non fuisset Christi mortem machinatus; et idcirco nulla fuit, respectu diaboli, necessitas redemptionis, sed, si pretium quoddam requirebatur, id non illi hosti, sed soli Deo erat solvendum. Et haec est ultima explicatio, quam egregie tradit Angelicus Doctor: « Quia redemptio requirebatur ad hominis liberationem *per respectum ad Deum, non autem per respectum ad diabolum*, non erat pretium solvendum diabolo, sed Deo; et ideo Christus sanguinem suum, qui est pretium nostrae redemptionis, non dicitur obtulisse diabolo, *SED DEO* ».²

Concludendum est igitur Christi passionem nos a servitute diaboli *iustissime* liberasse, tum quia diabolus, etiamsi conciperetur legitimus hominum tortor, iam ob suam iniustitiam, in Christum saeviendo, merito ab hoc officio repelleretur, tum quia – et sic ratio fundamentalis aperitur – nunquam verus fuit executor, sed solum usurpator et tyrannus.³ Aptissime igitur canit sacra liturgia: *Christus ab inferis victor ascendit*; quia nempe diaboli sceptrum confregit, nosque ab eius tyrannide eripuit, et simul nobis omnia

¹ Ibid., ad 2.

² Ibid., ad 3.

³ Cf. opus nostrum *Le Mystère de la Rédemption*, II édition, Paris, Téqui.

bona restituit, quibus fueramus in Adamo spoliati, iamque primitias gloriae dedit: « Quum Christus apparuerit vita vestra, tunc et vos apparebitis cum ipso in gloria ».¹

* * *

Porro inter antiquissimos testes illius traditionis recensendus omnino est sanctus Ephraem Syrus, qui pulcherrima canit de redempzione: Christus « ingressus inferos, dirupit gazas eorum et thesauros dissipavit ».² Simulque imperium diaboli dextruxit, praesertim idolatriam, et mundo salutem attulit: « Tibi gloria, qui *cruce tua* abstulisti idolatriam, in quam circumcisii et circumcaesi corrueant. Tibi laus pharmacum vitae, qui omnes baptizatos ad omnium vivificatorem et Dominum convertisti...³ Agnus salvavit Isaac, et Dominus creaturem ».⁴ Indicatur passionis fructus, qui est salus omnium, et innuitur catholica doctrina de *substitutione*, seu de *satisfactione vicaria*; nam Christus loco peccatorum immolatus, sicut agnus fuit loco Isaac occisus.

Per mortem autem Christi mundus redit in domum vitae et in regionem vitae: « Quia autem per lignum delapsum fuerat humanum genus in inferiora loca, super lignum transiit in dcmum vitae. *Tibi gloria! qui crucem tuam PONTEM EXSTRUXISTI SUPER MORTEM, ut per eam transeant animae e regione mortis in regionem vitae* ».⁵

Redemptionis tamen fructus, ut nobis applicentur, nostram requirunt cooperationem: « Arbor fructibus non exornata nihil fit, quia nihil in ea reperitur. Etiamsi rami eius bene dispositi sint, tamen, si

¹ Colos., III, 4.

² S. EPHRAEM SYRI *Hymni et Sermones*, edit. LAMY, t. I, p. 164.

³ Ibid., p. 164.

⁴ Tom. II, p. 538.

⁵ Edit. Lamy, t. I, p. 158.


fructus non habet, despicitur. Sic et homo, etiam si verus sit, *totus deficit, si non habet opera*.¹

Quia autem sumus per crucem liberati, monet S. Ephraem, signum crucis esse ante omnes actus faciendum: « Signo autem vivificae crucis obsigna, fili mi, omnes tuos actus. De ianua domus tuae ne ex eas, donec cruce te signaveris; nec in esu nec in potu, nec in somno, nec in vigilia, nec in domo, nec in itinere, nec in tempore quietis, illud signum negligas; nullus est custos illi aequiparandus; sit tibi murus protector ante omnes actus; edoce illud filios tuos, ut istud sedulo addiscant».²

Ilio insigni veterrimae traditionis testimonio apprime explicatur quomodo Christus per crucem nos a servitute liberaverit, et cur Ecclesia catholica, etiam inter pa schalia gaudia, memoriam crucis recolat.

Sicut autem in Christo est nostra victoria, sic in ipso erit illa *pax perfecta*, quam omnes appetunt, quaeque est *tranquillitas ordinis*.³ Unde perfecta erit liberatio et redemptio, quum subiecta fuerint illi omnia, *ut sit Deus, omnia in omnibus*.⁴

EDUARDUS HUGON.



LATINAE EPISTOLAE AD AMICUM⁵

II.

Latina lingua hodiernae hominum societati magno usui esse potest.

Ad te rescribere dudum in votis erat. Id tandem exsequi mihi datum. Nam et valetudo sinit et, rerum agendarum cesse nante turbine, animus quiete fruitur. Scri-

¹ T. III, p. 868.

² T. II, p. 304.

³ S. AUGSTIN., *De Civit. Dei*, lib. XIV, c. XIII; P. L., XLI, 640.

⁴ I, Cor., xv, 28.

⁵ Cfr. num. sup.

bebam Latii linguam vivere; nunc autem dico eam ita vivere, ut inutile sit, aut alium quaerere, aut novum aliquem arte compositum communem gentibus instituere sermonem.

In Urbe autem non solum templa, sed etiam fora, arcus, theatra, thermae, catacumbae, monumenta denique omnia romanae antiquitatis nonne peregrino cuique latine loquuntur? Imo e solo defossae frequenter et inscriptions et tituli adeo nova verba produnt, ut e terra erumpere latina vox atque insonare sponte videatur.

Verum id non solum Romae, sed toto romano imperio evenire solet ubicumque effossiones agere quis, duce historia, velit, uti nuper in Tripolitania et Cyrenaica contigit; quod quidem principis terrarum populi linguam magis, magisque amplificare valet.

Nunc, quaeso, dicas mihi, qui fiat ut recentiores de quodam sermone (*esperantum* vocant, de quo... desperandum erat), arte nova efformato cogitent, ut eum nationes omnes in civili commercio adhibendum decernant? Num vita carenti vitam infundere se posse aestimant? Tam cito infelicem *volapukii* exitum oblivioni dedere voluerunt?


Nonne facilius semivivo, medicae artis ope, vires addere, vel potius viventis augere vigorem? Romanus sermo adeo vivit, ut ad universalem populorum societatem vocatum se prodat. Quid igitur deest? Ut qui telegrapho aut telephono, aut radiographo inserviunt aliquantulum latine sciant, duorum grammaticae annorum studio instructi.

At inquires: Omnes nunc juvenes quidquid latine sapit odisse solere adhuc ignoras? Evidem scio, sed hoc rubori aetati huic nostrae esse merito debet, quae scientiae famam sibi vindicat arroganter. Latinæ linguae studium hoc habet, ut ingenium acuere valeat. Brevitate verum hoc idioma in hunc usum maxime se commendat. Illud in primis epistolarum mutuae communicationi idoneum esse negabit nemo, qui eius constructionis varietatem noverit; quo fit ut cogitationes omnes, ea-

rumque etiam in minimis diversos, secundum diversum scribentis vel loquentis finem, modos adamussim exprimere possit, haud spernendo temporis compendio. Huc adde aliquod ad secreta auxilium, quum populares latinum ignorare soleant: quamvis litteris vel signis, utrinque ex conventione selectis, administrari civitatum in omnibus, quae maximum secretum exigunt, uti possint vel debeant.

In alia epistola, quod magis in hac causa interest me brevi scripturum spero. Maiora hodie me avocant. Fac ut valeas. Salutant te Romani amici.

P. SPINA.



DE AGNOMINATIONIBUS.

Agnominatio est, quum ad idem verbum et idem nomen acceditur commutatione unius litterae aut litterarum, syllabae aut syllabarum, aut ad res dissimiles similiter verba accommodantur. Itali nos eam *bisticcio* vulgo dicimus; quod verbum fortasse a « bis dicere » efformavimus; suntque agnominacionum plenae nostrae litterae, saeculi XVII praesertim, quod res singulares et speciosas et futilles summere dilexit.

Quamquam erraverit si quis tamquam iocorum aut levitatis signum agnominaciones aestimaverit: sunt enim innumerae serio dictae iam a priscis temporibus, et in ipsis sacris libris, ita ut Hopf, Germanicus scriptor, peculiare de iis opus ediderit,¹ neque sine probabili ratione alter asseruerit plura inter biblica apophthegmata apud omnes populos ex hoc adamussim compositionis genere fuisse vulgata.² Sunt haec, exempli gratia: *Omnia non omnibus - Lex, lux - Vanitas vanitatum et omnia vanitas*, etc.

Sapientes pariter cuiusvis temporis a nationum sub agnominacionis forma memorabilia sapientiae suae effata posteritati

¹ L. HOPF, *Alliteration, Assonans und Reim in der Bibel*.

² Cfr. A. SCARLATTI, *Et ab hic et ab hoc*. Vol. I, p. II, 1.

tradiderunt. *Hoc unum scio me nihil scire* inquit Socrates; atque huiusmodi agnominatio in Gallica et Italica lingua etiam nunc invenitur. *Sustine et abstine*, clamabat Epictetus; eiusque dictum, tamquam nobile sui insigne a patriciis familiis latissime assumptum est media, quam vocamus, aetate, atque Teutonibus acceptum vulgo adhuc est per verba: *Leid und Meid!*

Quid de Pliniano: *Non multa, sed multum?*

Evidem per agnominaciones vitae praecepta ad vivum interdum exprimuntur, memoriae mandantur, animis infinguntur. Ubi significantem magis hominis definitionem habueris, quam in parva illa agnominacione: *Vir a vi?* Nonne in mirabili synthesi per eam omnia historiae saecula concluduntur? ... Et quomodo nominis vacuitas reprehendi posset melius, quam per antiquum illud: *Nomina, numina!* Optime quidem *humana vana* sibi accommodavit vir ille, qui « Thebas fugiens, rus veniens » cum agnominacione exclamavit: *Beata solitudo, sola beatitudo!*

Ceterum proverbia et adagia pleraque ab antiquitate manantia formam haud dissimilem praebent. Ita: *Ludere, non laedere - Ubi labor, ibi ube - Homo, humus; fama, fumus, finis, cinis - Bonum non men, bonum men - Amicus certus in re incerta (cernitur).*

Atqui consonantiae amor, hoc est proclivitas ad maximum effectum verbis obtinendum per materialem percussionem aures ferientem ex aequalitate syllabarum, quemque ideo Plautus, qui abunde ipsa usus est, *verbis verberationem* appellavit, vere in homine insitus dici potest, fitque apud populos omnes, tum priscos tum recentiores, communis. Sed prae ceteris eam Romani coluerunt, qui si in carminibus verba quae similiter caderent posthabuere, valde, ex adverso, « adlitterationibus » omnis generis delectati sunt.

Re quidem vera carmina ipsa Saturninia, veterimum illud latinitatis monumentum, fere omnia agnominacionibus constant, pariterque Ennii carmina, quem-

admodum videre est in eorum reliquis,
ut in versu illo:

Stultus qui cupita cupiens, cupienter cupit.

Plautus ita iisdem abusus est, ut fieret
interdum quoque morosus. Sic in *Aulularia* (III, 5):

*Coupones, putagiarii, indusiarii,
flammearii, violarii, carinarii,
aut manulcarii, etc.*

pergens in aliquot sequentes versus per
verba in *arii* desinentia.

Quinimo poëtae qui pro populo pae-
sertim scripsere, et ipsi optimi, versus
reliquerunt, una agnominationis dilectione
fortasse congestos, ut apud Ovidium:

Cur ego non dicam, Furia, te furiam?

et apud Lucretium, quem scimus «non
temere hanc syllabarum complosionem
quaesivisse»:

*Viva videns vivo sepeliri viscera busto;
atque Iphigeniam nobis repreäsentat, quae*

*Muta metu terram genibus petebat;
ut notissimos versus illos praeteream diu
Vergilio attributos:*

*Sic vos non vobis nidificatis aves;
Sic vos non vobis vellera fertis oves;
Sic vos non vobis mellificatis apes;
Sic vos non vobis fertis aratra boves.*

Neve putes clarissimos latinitatis scri-
ptores haud intelligenti iudicio neque sine
elegantia «ad litterationes» adhibuisse;
agnominatio imo sub eorum calamo effi-
caciissimum cogitationis instrumentum fit,
quod ii multa cum arte multaque sapien-
tia exercuerunt. Satis sit in memoriam
revocare illud Ciceronis in *Senectutis* li-
bro (XI, 38), quum ingravescens aetatis
demissio ex sono repenti ac prope labenti s
litterae redditur: *Ita sensim sine sensu
aetas senescere; et epitaphium ab Ha-
driano imperatore exaratum, sepulcro suo
insculpendum; cuius verba gemitus dixe-
ris:*

*Animula vagula, blandula,
hospes comes corporis,
quae nunc abibis in loca
pallidula, rigida, nudula,
nec, ut soles, dabis ioca! ...*

Formulae ipsae bene precandi, ut: *Quod
faustum, felix fortunatumque siet; iuris,
ut: In manu et mancipio; Ius iudicium-*

*que - Do, dico, addico; consecrationis: Do,
dono, dedico; orationis, ut - ad impetrantem
messium conservationem - Sit salvis
sator, salva sint sata; deliberationum:
Censuit, consensit, concivit, etc. apprime
ostendunt quanta essent in «ad litterationes» sive agnominationes Romanorum
praelatio et oblectamentum. Itaque agno-
minationes et in ipsum usuale sermonem
sponte transmigrarunt, ut in phrases illas:
«Vitam vivere, somnum somniare, sitim
sitire», etc. Res eo devenerunt, ut - teste
Spartiano - Getae imperator, quadam deli-
ramento captus, quotidie cibis coenare
vellet, cuius nomina inter se aliquia agno-
minatione iungerentur. Sic, quum altera
die vesceretur, exempli gratia, tantum
pullo, pernice, pavone, porco, pisce et sim.,
altera nonnisi fasianum, farratam, fabas,
ficos; vel anatem, aprunam, etc. ederet.*

Non igitur mirum quod multa maio-
rum nostrorum dicta ad nos usque deve-
nerint, ad posteros vicissim cessura, ob
agnominationis ipsam adamussim formam; ut: *Sanus et salvus - Viva voce -
Maria et montes promittere - Aut spinte
aut sponte ...*

Quibus concludere licet in Latinorum
lingua et litteris formam magni quidem
momenti agnominationem fuisse; quippe
quae haud tantum «condimentum oratio-
nis», «deliciae vel potius ineptiae», orna-
menta scilicet orationis «ad voluptatem
aurium» usurpata, exstaret; sed ex na-
tura ipsa populi genita, peculiaris nota
genii latini habenda sit, eiusque cogi-
tandi rationis speculum fidele: sermo initio
infantilis, deinde ex traditione in sol-
lemnii, hieratico, etc. permanens.

Haec, inter alios, palam demonstravit
cultor ille latinarum litterarum eximius,
Petrus Rasi, athenaei Patavini decus, quem
e vivis immature eruptum recens luxi-
mus;¹ qui proinde seriem Teutonum do-

¹ Cfr. eius scripta: *Sull'uso dell'allitterazione
nella lingua latina, in Atti e memorie della R. Accade-
mia di scienze, lettere ed arti di Padova*, vol. V;
et *Dell'omeoteleuto latino*; ibid., vol. VII. - *Omeote-
leuton agnominatio est, quae consonantia simul et ver-
bis similiter cadentibus constat.*

ctorum produxit, qui hinc indeque Latini-
orum agnominationes latissime perlustrarunt collegeruntque; idque non ex una
eorum propensione ad studia huius generis;
sed quia agnominatio, non quidem sub
rhetorico adspectu, sed in se ipsa considerata,
haud repugnans appareat, imo Teu-
toniae quoque linguae satis respondeat.

Argumentum igitur dignum est, ad
quod, si placuerit ac tempus erit, alias
revertamur.

I. F.

RAPHAEL SANCTIUS PICTOR.

Roma, quae Raphaeli Sanctio fuit al-
tera Urbinus, adeptente hoc Aprili mense,
novos ei honores decernit, quod abhinc
quingentos annos, in ipso aetatis flore artis
splendore, ingemiscitibus omnibus,
diem obiit supremum. Rite is conditus
est Romae ad Pantheon a M. Agrippa
cos. exstructum, atque in eius honorem et
memoriam, Petrus Bembo, Pater purpu-
ratus idemque egregius litterarum cultor,
hanc celebrem inscriptionem fertur exa-
rasse:

*Ille hic est Raphael, timuit quo sospite vinci
Rerum magna parens, quo moriente mori!*

Tot enim sunt magnifica artium mo-
numenta, quot fuerunt opera ex eius in-
genio profecta.

Prima artis fundamenta Florentiae po-
suit, sub ductu ac disciplina clarissimo-
rum artificum, qui illa aetate patriam
virtutibus exornarunt sibique magnam
celebritatem compararunt. Imperante in
Petri solio Julio II, qui iam nomine suo,
meritis viris praemium esse salutabatur
et meritoris incitamentum, anno quingen-
tesimo octavo supra millesimum, Romanum
profectus est.

Brevi post tempore, se se summis picto-
ribus parem exhibuit, et mox facile est
omnium princeps appellatus.

Eius autem opera in ipsis aedibus Va-
ticanis prope sunt innumerabilia. Hic enim
adsunt nobilissima illa ambulacra, vulgo

dicta *Le Loggie*, ubi pictor ingenio suo
libere admodum indulgens, diversa pae-
clarata facinora ex historia sacra desumpta
mirifice descripsit; hic splendida Concla-
via, in quibus magnos et commemorabiles
ab historia locos excerptos insuperabili
arte colorumque varietate proposuit. Prae-
ceteris satis sit immortalem illam dispu-
tationem *De Augusto Sacramento memo-
rare*, ubi inter se se colloquentes depinxit
Dantem Alighierum, Sanctosque Thomam
et Bonaventuram.

Tabula vero, quae omnibus usque est
adprobatissima, quaeque universa Raphae-
lis opera facile superare videtur, quae
demum eius nomen apud omnes gentes
immortale contulit, omnibusque laudibus
cumulatur, est divina Iesu Transfiguratio;
ubi Iesus Christus insigni luce coruscus
cum tribus apostolis videtur.

Quoad eius vita suppeditavit, impigre
Sanctius in artem suam incubuit, ut opera
eius in omnibus fere universi orbis terra-
rum pinacothecis miro honore ostendar-
tur.

Ex eius schola complures alumni, ex
humili loco magna ad fastigia rerum per-
venerunt, sub eius ductu ac disciplina.
Ipse vero immortalis magister, ipse omnis
aetatis pictorum caput exstitit, quem sin-
guli iure proclamant:

Te sine nil altum mens inchoat!

Dolendum sane, quod cum florente ad-
modum aetate, quasi operum pondere pres-
sus, occubuerit. Ad eius funus haud ca-
lumnia tacuit. Ipse enim totus in arte sua,
Dei amorem, religionis studium cum per-
petua in artifices pauperiores liberalitate
coniunxit.

Exitialis morbus eum adortus est. In-
gravescentem hunc animi fortitudine tuit,
et placido exitu in suorum complexu, sacris
religionibus recreatus, vitam finivit. In
lucem editus erat Urbini anno MCCCCLXXXIII,
quum sublimes Christi cruciatus comme-
morarentur; eodem die, post annos sep-
tem supra triginta, fato cessit.

I. B. FRANCESIA.

DE NOVO MUSEO LATERANENSI.

Si spatium praeteriti temporis respicias, iam illud in promptu est, Pontifices Maximos nihil carius habuisse atque optatius, quam sua industria atque munificentia Romam perpetuis monumentis exornare, et squalore antiquitatis et incursionibus hostium detersam, pro viribus pulcriorem in dies reddere, eiusque rebus afflictis opportune subvenire. Hinc celeberrimum illud effatum:

*Non si te Petri meritum Paulique foveret
Tempore tam longo, Roma misella fores!*

Urbs enim, in omnibus rerum hominumque perturbationibus, insitam sibi naturam divinitus praeferit, et singulorum Pontificum monumenta portendit. Propterea, in magno olim gallico oratorum popularium conventu, vir clarissimus De-Fal-loux Parisiis dicere haud dubitavit, Romanum, praeter infastam Avenionensis captivitatis aetatem, Pontificum vestigia in bonis artibus honoris gratia memorare, et gratulantem eorum nomina posteritati prorogare.⁴

Gloria haec et Benedicto XV P. M. tribuenda, qui, vel in praesentibus rerum difficultatibus, parem animum exhibuit, atque invicta fortitudine, assidua caritate in colenda Urbe, in civium Romanorum advenarumque studium assiduo intendit. Namque regnum suum et ab artium studio auspicari quodammodo voluit, earumque amplitudini favere, atque omnium spiritus re et consilio sustinere, ut eum bonarum artium patronum atque fautorem homines etiam appellant.

Ipse enim, propositi tenax, decessorum suorum vestigiis mordicus adhaerens, comode in museo, quod erat in aedibus Lateranensibus, digessit atque in elegan-

tiores locos sapienter collegit quotquot monumenta, via Appia restituta, alii incredibili impensa detegenda curaverant. Iuvat scire in posterum, Benedicti XV auctoritate copiosum priscarum artium hoc museum, optime fuisse compositum, et monumentis illis exornatum, quae, purgatis extra portam Sebastianam ruderibus liberalitate Pii IX P. M., qui memoria nostra alter Damasus est merito appellatus, fuerunt detecta, et quae in Callisti hypogeo, ubi christiani fuerant odio impiorum in capitibus discrimen adducti, inter martyrum loculos delitescerent.

Ibi enim, quod munificentia ac pietate quatuor Pontificum initum est, quodque post diurnam oblivionem in lucem denuo apparuit, in aptiorem ordinem ex aqua aestimatorum norma, admittente potissimum Horatio Marucchi, qui harum rerum antiquarum magister ac facile princeps adprobatur, in omnium commodum Benedictus XV restituendum curavit. Ampliora ibi conclavia cernis, quae auro, picturis, regio cultu sunt exornata. In hisce nova metallorum, lapidum fossilium copia optime digesta, in elegantiorum formam refecta, et omnia in loco suo sapienter disposita. Ad haec per ordinem litterati lapides monumentorum veterum instructi, atque sic cuncta per tempus, per rerum naturam sunt digesta, ut una simul sint visitantibus obvia.

Quot parvulae statuae a graecis graphicis confectae, quot veterum christianorum memoriae, post tot saecula reviviscent atque ita complures thesauri facile elegantibus bonarum artium spectatoribus restituuntur! Quis talia videns haud dixerit:

Scilicet et rerum facta est pulcherrima Roma?

Namque hoc museum, a Pio IX primum dicatum, quodque Leo XIII et Pius X, summo studio ex recentiorum inventis, decoraverant, Benedictus XV, omnibus con-

⁴ Externas reipublicae rationes curabat anno saeculi elapsi MCCCCXLIX, praeside rerum Ludovico Napoleone, qui mox rempublicana in dominatum convertit.

clavibus renovatis, auctis insuper novis priscorum reliquis repertis, in discentes publice erogavit.

Iure igitur meritoque dicimus gloriam esse tuam, Benedicte, singulari consilio haec omnia civium commodo prospexit, quinimo omnium potentiorum munificentiam superasse; qui, in bonis rebus et arduis, aequam mentem retinens, vel inter horridum armorum per nationes strepitum, simul pacem mortalibus suasisti, et sauciis in bello captisque opem salutarem contulisti, et demum pueris Vindobonae, ad clamantibus omnibus, inopia parentum jesuientibus opere et consilio adiuvisti.

Te incolumen servet Deus, ut diu in Urbe populo christiano felix intersis, et praesenti Virginis Matris auxilio, dum religionis iura libero ore defendis, tranquillatis ubique gentium rebus, animi omnium in tui obsequium ovantes coalescant!

SENIOR.

S. CLEMENTI M. HOFBAUER

REVOLUTO A BEATA EIUS MORTE

ANNO CENTESIMO (MDCCXX-MCMXX)

*Clemens, propago clara Ligorii,
cuius sepulcro dena decennia
laudes dederunt, carmen audi,
quo tua gesta canit sodalis.*

*Effulsit, annis a puerilibus,
virtutis in te lux nitidissima,
quae, solis instar, crevit usque,
nuncque beat radiosus caelos.*

*Innatus oris tu borealibus,
Romam petisti, moxque recentibus
Alfonsonianis te maniplis
impavidum socias volonem.*

*Remensis Alpes, ad tua litora
redis et, ardens factus apostolus,
legem Dei per vasta vulgas
regna, potens opere atque verbo.*

*Mirantur Ister, Vistula, Moldava
Rhenusque, Clemens, haec tua flammea
effata, culpae queis cupidio
eritur, seriturque virtus.*

*E gente quavis, quam colis impiger,
Alfonso ovanti florida nascitur,
te patre, proles, apta queis tu
tecta paras, pietatis aulas.*

*Eheu! procellae saepius atria,
labore multo condita, diruunt;
at tu, Deo confisus, aedes
mox alias struis hospitales.*

*Adversa vincis tu patientia;
vincis Mariae tectus ab aegide,
dum grana contorques in hostem
(tela velut totidem) Rosari.*

*Nunc laetus alto cernis ab aethere
totum per orbem limina filiis
exstructa, qua sol fulget ortus,
qua premit occiduus nitorem.*

*O perge, Clemens, perge propagini
adesse nostrae. Turbidus undique
densatur aër, atque terris
luctificas parat heu! ruinas.*

*Alfonsi alumnos inter et arduos
tuere casus; limina protege,
ac spiritum, quem nulla priscum
extenuare queat procella.*

FRANC. XAV. REUSS.

Qui confidit in cogitationibus suis, impie agit.

PROVERB., XII.

EX AUSTRIA

**Centenaria sollemnia
in hon. S. Clementis M. Hofbauer
Vindobonae celebrata.**

De festa hac Commemoratione a Sodali Redemptorista descriptionem accepimus, quam nostris quidem lectoribus non inuicem fore confidimus, eo magis quia ibi res quaedam, «priscis Romanis incognitae», latine exprimuntur. Praemittimus, S. Clementem decus esse religiosae Familiae a SS. Redemptore nuncupatae et a S. Alfonso M. de Ligorio institutae. Ipsum Leo XIII inter Beatos, et Pius X inter Sanctos retulit, atque urbs Vindobona, cuius fuerat Apostolus, in caelestem Patronum sibi adlegit. En igitur memorata descriptio.

Die xv mens. Martii huius anni, centesimus absolvebatur annus, ex quo S. Clemens Vindobonae beata obiit morte. Eius sacrum Corpus colitur in hoc nostro Vindobonensi templo S. Mariae ad Scalas. Solemnis autem haec commemoratio celebrata est, non solum in binis nostris huius urbis ecclesiis, verum etiam in aliis LVII, ac praesertim in templo metropolitano S. Stephani. Illuc enim, die vii eiusdem mensis, instituta pompa, Corpus S. Clementis, splendida inclusum urna, a quatuor e nostris sacerdotibus, magnifico cum apparatu et comitante immenso populo, solemniter translatum est; ibique per octiduum remansit, habita interea serie sacrarum concionum, Missarum solemnum aliarumque cultus divini functionum.

Translationi praefuit ipse Eminus Cardinalis Archiepiscopus Vindobonensis, cum amplio comitatu praesulum, canonicorum et utriusque cleri sacerdotum. Interfuerunt etiam, praeter magistratus ab auctoritate civili deputatos, cuiusvis ordinis viri

ac mulieres, pia sodalitia aliaeque societas; corporationes quoque artificum, quos inter videre erat pistores, quorum olim artem S. Clemens exercuerat. Aderant praeterea magistri et magistrae scholarum cum suis discipulis; ipsaque Studiorum Universitas amplam deputaverat cohortem tercentum alumnorum cuiusque classis, qui suos quisque colores gerebant, et quorum plures, nudatis ensibus, ad latus sacrae Urnae incedebant. Singulae corporationes et sodalitia sua ferebant vexilla, numerum quingentesimum excedentia.

Immensa illa pompa, circa horam secundam post meridiem ab ecclesia B. Virginis ad Scalas profecta, vix post horas duas portam giganteam templi metropolitani attigit. Constabat autem triginta saltem et forte quadraginta millibus hominum.

Per totum octiduum, frequentissimus fuit Fidelium concursus ad singula pietatis exercitia, ibidem celebrata. Frequenta tamen vel maior exstitit, quum vespera diei xiii Martii, ipse Cardinalis Archiepiscopus concionem habuit, sub cuius finem Litteras Apostolicas perlegit, quas a Summo Pontifice Benedicto XV acceperat, in quibus praecolla merita S. Clementis de re catholica ac nominatim de urbe Vindobona amplissimis verbis extollebantur.

Eo vespere, templum Stephanianum, usque in remotioribus angulis occupatum, ad decem millia hominum continuisse estimatur. Ex his permulti ad sacramenta Poenitentiae et Eucharistiae accesserunt: quod praesertim apparuit die sequenti, mane, hora septima, quum «Communio generalis» distribueretur atque, praecommunicantium multitudine, sacrae particulae deficerent. Hora deinde nona, ipse Cardinalis Archiepiscopus Missam solemnem pontificalem celebravit, sicque octiduanam illam festivitatem in templo metropolitano splendide conclusit.

Vespere eiusdem diei, in vastissima Aula publicis destinata concentibus, alias, praeside Rmo D. Ferdinando Paulikowski, celebratus est conventus, cui ter mille homines, tessera muniti, interfuerunt, cuique multo plures adfuerint, si id spatium sisisset. Ibi, post prolusionem sonantibus organis factam, et Prologum a professore Richardo Seyss-Inquart recitatum, Oratio festiva pronuntiata est a Rmo Abate Gregorio Pöck, Ord. Cisterciensium, qui in S. Clemente insignem descriptis populorum educatorem, sive in iis quae ad litteras et legendi materiam pertinent, sive in iis quae iuuentutem instituendam respiciunt, sive tandem in iis quae ad caritatem erga proximum spectant; quae omnia, ut proficia essent et efficacia ad verum bonum, fide christiana et Evangelicis doctrinis imbuta esse voluit.

Tum sequuta est allocutio habita a secretario Administrarii civilis Iosepho Miklas, quam excepit tertius sermo, pronuntiatus ab Eño Card. Archiepiscopo, in quo, pro sua in Congregationem nostram benevolentia, salutarem laudavit operam a filiis Alfonsi, ad exemplum S. Clementis, ubique ac praesertim Vindobonae exercitata.

His autem concionibus pulchre intermixti fuerunt varii cantus egregii, nempe Carmen in honorem S. Clementis apposite concinnatum; inde *Septem Beatitudines*, quae pars est Oratorii Francisci Liszt, cui titulus *Christus*; canticum *Mariale*, quod olim Clemens cum pueris cantare solebat Varsaviae, alia licet cum modulatione; ac tandem *Hymnus Papalis*, cuius inter accentus et acclamations finem accepit splendida haec academia.

Praestat te ipsum cognoscere, quam si, te neglecto, siderum cursum, vim herbarum, hominumque ac omnium terrestrium pariter et caelestium naturas teneris.

S. BERNARDUS, in *Meditatione*.

COMMUNIA VITAE

**Nomina virorum
atque mulierum propria.¹**

Balbina - Lat. - Balbutiens.

Balthasar - Hebr. - Occulte dicitias congerens.

Baldinus (Baldoinus, Guinibaldus, Vinibaldus) - Teut. - Strenue pugnans.

Baldmundus - Teut. - Audax defensor.

Barnabas - Hebr. - Prophetae filius.

Bartholomeus (Bartholus, Bertholus, Bertholottus, et vulgo Meus, Meius) - Hebr.

- Filius eius, qui aquas continet.

Basilides (Basilissa) - Graec. - Regina.

Basilius (Basileus) - Graec. - Regius.

Bellerophontes - Graec. - Malorum evursor.

Beltramus - Teut. - Vi celebris.

Beniamin - Hebr. - Filius dilectissimus.

Benildes - Teut. - Puerula.

Berengarius (Berlingerus, Gherus, Gherius) - Teut. - Magnus pugnator.

Berenice (Berenices, Berenix) - Graec.

- Afferens victoriam.

Bernardus (Berardus, Bardus) - Teut.

- Vir fortis.

Bertus - Teut. - Illustris.

Bertholdus - Teut. - Patricius clarus.

Blasius - Graec. - Crescens.

Blanda (Blandina) - Lat. - Benigna.

Boemundus - Teut. - Vir acer.

Bonaventura (et vulgo Ventura, Venturinus, Tura, Turinus) - Ital. - Gratus eventus.

Bonifacius (Bonifatius, et vulgo Bonizus, Facius, Fatus) - Ital. - Beneficus.

Bosus (Buosis, Boso, onis) - Graec. - Pascens.

Brassidas - Graec. - Fervidus.

Brigitta (Brigida, Birgitta) - Teut. - Clara.

¹ Cf. num. sup.

Brunechilde (Bruneida) - Teut. Illustris puer.

Burchardus - Teut. - Civis potens.

Caius (Gaius) - Lat. - Dominus.

Calepodius - Graec. - Ex imbecillis pe-
dibus.

Calliope - Graec. - Ex pulchris oculis.

Callistus - Graec. - Pulcherrimus.

Calogerus (Calocerus, et vulgo Gerus,
Gerinus) - Graec. - Bonus senex.

Camillus - Graec. (?) - Rudens (?)

Canutus (Canutius) - Lat. - Ex albo
capillo.

Caribertus (Carolus Albertus) Fortis et
clarissimus.

Carolus - Teut. - Fortis.

Casimirus - Teut. - Validus princeps.

Castor (Castruccius) - Graec. - Findens
ac sternens.

Cataldus (Catoaldus) - Teut. - Potens
in bello.

Catharina (et vulgo Cathrina, Thrina,
Tina) - Graec. - Pura.

Catus (Cato, onis) - Teut. - Bellicosus;
et etiam Sagax.

Coelius - Graec. - Cavus.

Cherubinus (Cherubim) - Hebr. - Scien-
tiae plenitudo.

Chlotarius (Lotarius, Lutherus) - Teut.
- Splendidus.

Chrysis (Chryseides, Griselda) - Graec.
- Aurea.

Chrysogonus - Graec. - Auro geni-
tus.

Chrysostomus - Graec. - Os aureum.

Christina - Graec. - Illita.

Christophorus (Christophanus, et vulgo
Tophanus, Torus, Ciofus) - Graec. - Chri-
stum ferens.

Chunegunda - Teut. - Mulier regia.

Chunibertus (Chutbertus) - Teut. - No-
bili stirpe natus.

Claudius (Clodius) - Lat. - Claudicans.

Cleander - Graec. - Gloria insignis.

Cloelia - Graec. - Quae in laude est.

Clemens (Clementia, Clementina) - Lat.
- Mitis.

Cleopatra - Graec. - Gloria patriae, vel
patris.

Cletus - Graec. - Exoptatus.

Clytus (Clitus) - Graec. - Insignis.

Clodoaldus (Clodovaldus, Lodovaldus) -
Teut. - Dominus celebratus.

Clodomirus - Teut. - Princeps claris-
simus.

Clorinda (Cloris, Clorides) - Graec. -
Viridans.

Clothildes - Teut. - Gratia, vel fide in-
signis.

Columbanus - Lat. - Ex columbo.

Conthardus (Guntharus, Gontharus) -
Teut. - Bellicosus.

Corinna - Graec. - Puellula.

Conradus (Conradinus, et vulgo Dinus)
- Teut. - Virtute promptus.

Cosimus (Cosmus, Cosmas) - Graec. -
Mundus.

Crispus, Crispinus - Lat. - Cincinnatus,
Cirratus.

Cyprianus - Graec. - Florens.

Cyriacus - Graec. - Ex Cyro.

Cyrillus - Graec. - Parvus dominus.

Cyrus (Cyrinus) - Graec. - Dominus.

Dagobertus - Teut. - Miles illustris.

Dagofridus - Teut. - Miles tranquillus.

Dagomanus - Teut. - Miles celebra-
tus.

Damasus, Damianus - Graec. - Do-
mitor.

Daniel (Daniella) - Hebr. - Dei iudi-
cium.

Darius - Hebr. - Investigator.

David - Hebr. - Dilectus.

Debora - Hebr. - Ductrix.

Deianira - Graec. - Fortasse: Homi-
nem urens.

Demetrius - Graec. - Ex Cerere.

Democritus - Graec. - Populi iudex.

Demophilus - Graec. - Populi amicus.

Demosthenes - Graec. - Populi virtus.

Deodatus (Adeodatus, Deusdedit, Do-
nusdeus, Deodorus, Diodorus [Theodorus,
Theodectes, Theodotus], Dorotheus, Dosi-
theus; et vulgo Datus, Dorus, Dorina [ex
Theodorina]) - Graec. - Dei donum.

Diana (Dianella; et vulgo Anella, Nella)
- Lat. - Lucem habens diei aemulam.

Didacus (vulgo Diegus) - Graec. - Di-
stributor.

Dina - Hebr. - Iudicium.

Diomedes (Diomedon) - Graec. - Rex
a Iove.

Diomira - Teut. - Clara domina.

Dionysius (Dionysus; et vulgo Dioni-
gius, Nigius) - Graec. - Iovis donum.

Dominicus (et vulgo Minicus, Menicus,
Mengolus, Menghinus, Mengolinus, Ghini-
lus, Mecherus [foem. Mencia], Becus, Be-
gus [foem. Bega, Begga]) - Lat. - Ad domi-
num pertinens.

Dora - Graec. - Donum.

Doralice (Doralyce) - Graec. - Auroraë
donum.

Drusilla - Graec. - Rore madida.

Durantes (et vulgo Dantes) - Lat. -
Constans.

(Ad proximum numerum).

FORFEX

DE HODIerna ET ANTIQUA HOMINUM VITA VOLUPTUARIA¹

Adnumerantur et in dulciariis complures
omni disciplinarum genere exculti, qui
data occasione, mirum in modum, inge-
nium suum pericitantur. Est qui castri
similitudinem ex vero effingit, cum turri-
bus, vallis pontibusque; est qui gigantes
illos potius conficiebat, qui caelum ipsum
adgrediebantur «superisque Iovem detru-
dere regnis». Alii sanctos conficiunt, vel

¹ Cfr. num. sup.

equites, mulieres, aliaque complura, quae
pulcre ferunt cuncta suae dignitatis insi-
gnia.

Et qui talia agunt sunt domini rerum!
Sed tu, candide lector, mecum homines
commiseratus, dices: «O curas homi-
num, quantum est in rebus inane!».

Mensarum princeps erat pavo, quae
omnium prima facile dicebatur, et pae-
ceteris nobilis, deorum immortalium gra-
tissima dapes, atque h̄c in terris unice
beatioribus adsignari consueverat. Pran-
dium vero, in quo pavo fuisset desideratus,
omnino modicum et pauperculum praedi-
cabatur, diuque in ore hominum in deriso-
nem currebat. Romani quoque pavonem
gustabant, et quantum! Hinc Iuvenalis
indignabundus cives suos insectatur:

Et crudum pavonem in balnea portas!

At Romani recentiores quo meliore ar-
tificio elegantiaque! ... Quos primos harum
gustus elegantiarum arbiter Titus Petro-
nius mirabile descripsit in libro cui est
titulus *Satyricon*, ac veluti ex ordine insti-
tuit et multis ac propemodum versibus
descripsit, Angli, Romanorum exemplum
gloriouse secuti, affabre perficiunt. Mihi si
esset Parinii ingenium!... Mihi si linguae
centum essent, oraque centum, vix indignationem
animi explicarem! At, quid hinc?

Iuvat insuper dicere quo potissimum
modo condiretur. Praesertim in regalibus
coenis, pavo pluribus diversisque aroma-
tum generibus simul commixtis pulv̄e
fasciabatur, atque assatus, plumisque splen-
descensibus exornatus, accuratissime ite-
rum in pelle aptatis. Ore, splendidissime
ex auro confecto, gerebat gossypii fru-
stulum, re excandescente intinctum, quod
quum ad convivas ingrederetur, inflam-
mabatur.

Ne prandium totum esset in epulis va-
riisque sermonibus, aderat et sublimis sa-
pientia. In memoriam rerum fugacitatis:
« Nos quoque florimus, sed flos fuit ipse

caducus», monentes, pavonem ad mensam ministrare consueverunt pulciores puellae atque elegantiores, quae passim virtute et moribus percrebrescerent. Ad dominum autem prandii primum, ad tibicinum modos, portabatur, qui capaciorem ad secundum destinabat.

Si singula de anseribus, de phasianis, de indicis gallinaceis dicere vellem, quae sua quaeque ratione atque industria confecta ad mensam ferebantur, infinitus essem. Hoc unum lectores monitos volo, haec mille oris delectamenta ad nos, labentibus annis, a media aetate ad nos provehi. Sed... huic rei est quoque finis ponendum.

Addam, dominante regina Elisabeth, dulciarios artem suam optime pravorum munerum scientia callere et veterum religionem.

Hodieque fit de dulcibus mentio, quae praeclaras Ovidianarum Methamorphosaeon mutationes feliciter portendebant, atque in primis immane quoddam instrumentum, cui recentiores nomen dant *plum-cake*, idest prunis praesertim dapes confectae, omniumque sapidissima cum figuris anaglyptis saccharo conditis.

Quid plura? En novum venit monstrum dapis! Referunt historici, gloriae causa, et nomen clarissimae magistrae. Ipsa enim Dorothea Peterson, tanquam suis civibus bene merens, posteritati prorogatur.

Iuvat singula quaeque incredibilia explicare. Sic lentescunt pectori curae! In imo huiuscmodi immanni *pâté*, quem vocant, duos farinæ modios adhibuit, librasque butyri viginti, quatuor anseres trivit, duosque indicos gallinaceos, duos addidit cuniculos, cum quatuor anatibus sylvestribus; ad haec duos pullos adiunxit, scolopaces minores sex... Sed nondum satis! Erant quoque quattuor perdices, duaeque linguae taurinae, duo insuper aucupia cum merulis septem et sex columbis...

Harum omnium rerum pondus centum sexaginta octo librae, quod vix duo homi-

nes viribus pollentes ad mensam portare possent.

Habent sua fata... dapes! Regina Elisabetha *pâté* diligebat et *puddings*, quorum nomina duobus Londini vicis imposuit.

At quidquid carum fuit acceptumque patribus nostris, insequentibus annis et in desuetudinem abiit. Ad rem. Celeberrimum illud *plum puddings*, quod Angli olim præ ceteris diligebant, hodie vix apud plebeiorum coenas invenis.

Caput aprinum... quis non memorat nobile illud, « Invitas ad *aprum!*... ponis mihi, Gallice, porcum! » - caput aprinum, vetere aetate optatissimum, nunc a beatiorum mensis expulsum, est ferculum omnino vulgare et neglectum.

Recentiores, superbo quodam libertatis spiritu insticti, quae patres invexerant, atque in primis amaverant, insigniter contemnunt. Erit quid in crastinum? Utinam Angli, qui saepe Italiam nostram suis artium divitiis adlecti caelique suavitate, ablegatis tandem peregrinorum inanum studiis, ad nos veniant, ut olim opitulan'e Deo iam pluries factum est, ad divinam nostram religionem adsurgant, eamque mira animorum concordia amplexentur atque praedicent!

Haec summa votorum, ut caelestibus dapibus vel h̄ic in terris unice abrepti, humanas res contemnentes, ad futura adgradiamur. Disperreat omnino calumniosa illa Anglorum fama, ipsos ut edant vivere! Sed potius: sobrie sic comedere, ne moriaris!

SUBALPINUS.

ANNALES

Germanici motus.

Germanica civitas, quae post victoriam in Spartachianam, quam nuncupant, factiōnem in viam redisse videbatur, seque tantum operibus dedisse, salutarique arte ad

fessos artus levandos applicuisse, vulneraque resarcienda quibus post bellum affligitur, die XIII superioris mensis Martii, improviso motu, sese rerum status intolerantem exhibuit, ac praeteritorum cupidam, futurarumque pugnarum.

Etenim contra Erberti gubernium, - certerum satis iners et impotens, - milites, Kapp et Luttvitz ducibus, insurrexerunt, publicisque negotiis non sine sanguinis effusione potiri conati sunt. Sed cum legitimo imperio, Dresdam primum atque deinde Stoccardam translati, in hac urbe pactiones de componendo discriminis initiae postea ac perfectae ea mente sunt, ut Erbertus ejusque socii in potestatem permanerent, usque dum comitia ad praesidem civitatis eligendum congregari liceret. Pro tempore nempe conventum; si quis vero cogitaverit seditioni finem fortasse eum fuisse, ut ad summum imperii munus supremum ducem illum militum Hindenburg evehetur, vel ut reditus pararetur regi eiusque militaribus fautoribus, facile coniiciet rem periculorum plenam esse adhuc. Idque etiam ex altera causa. Non enim est difficile eorum motuum occultam vim attingere, bolshevismum scilicet; quem ad comprimentum haud temere credere licebit pactiones intra luctantes fuisse factas in summam patriae utilitatem. Attamen si reapse id acciderit, quisquis fuerit eventus futurus, grave profecto monumentum, et omnibus populis, quos evertendarum rerum illa insanis vexat, inde manabit.

Costantinopolis urbs ab exteris occupata.

Costantinopolis urbs ab Anglorum, Gallorum atque etiam Italorum copiis invasa est; obsidionis status edictus, severaeque occupationis factae conditions. Per editum pariter Sultano ac Turcarum genti sua libertatis iura sunt promissa, dummodo tamen « Nationalistarum » actio quaevi cessaverit, Armeniorum strages devitatae fuerint, pacisque conditiones integre acceptae. Timent nonnulli ne hinc ferox

bellum oriatur, Mahumetanorum nempe omnium, per orbem effusorum congregatorumque simul, in Europaeas nunc victrices gentes; alii vero omnia illum exitum habitura praecinunt, quem Aesopiana antiqua fabula de lupo et agno docet.

*
**

Versaliense foedus coram Senatu Civitatum foederatarum Americae Septentrionalis.

Versaliense foedus ab Americanis patribus ratum est; quum vero cautiones illae, de quibus alias mentionem fecimus, Wilson licet obsidente, servatae fuerint, profecto efficientia omnis eidem foederi sublata est.

Americanus pariter Senatus consensum suum declaravit Hibernorum postulatis, votumque protulit fore ut proxima adventet hora, in qua Hiberniae natio talem demum habeat gubernationem, quae animi sui desideriis respondeat.

*
**

Ex Aegypto.

In Aegypto legatorum coetus, quamvis iuribus suis privatus, coivit tamen, iterumque finem edixit Anglicae tutelae, pronuntiavitque civitatis suea libertatem.

*
**

In Dania.

Turbidae et in Dania res. Ilic enim populi scito decernendum erat utrum Sleswig regio Daniae adnecteretur, an Germania eam retinere sub sua dictione posset. Factum est autem ut altera illius regionis pars Daniae, altera Germaniae faverit. Huius dissensionis causa administratorum socialistarum collegio, cui Zale praeerat, tributa est; cui idcirco, suffragiis quotidie imminutis, gubernandi vis prorsus adimeretur; quum tamen ipsum vellet neque a munere recedere, neque nova comitia indicere. Tum rex, imperioso actu, ipse administros dimisit iisque alios suf-

fecit. Inde socialistarum irae, qui seditionem pronuntiarunt regisque remotionem.

Populus ne eos sequetur? Eventus docubunt.

Kalendis Aprilibus MCMXX.

POPPLICOLA.

VACUI TEMPORIS HORA

Rediit - et salvum advenisse gaudeo - anonymous ille, qui videtur sibi officium sumpsisse complendi atque perficiendi passim, quae in hisce notis singulis mensibus, quomodo possum, praecino. Hodie, quum legisset Septimilii mores, recens descriptos, **elegantem et blandum** alterum **adulescentem** nobis offerre voluit, ex Theophrasto - uti asserit, - Iuvenali ceterisque auctoribus a se desumptum:

Intuemini - inquit, - si placet, hominem, ut ab imis unguiculis, ad verticem usque totus est pulchellus! Quae frontis exorrectae serenitas! quae suavitas oculorum! quae venustas oris! quae residentis ad singula vultus amoenitas! Quot in facie veneres, quot volitant cupidines, quot roseis labellis insident sirenulae! Cernite ut dentes habet nitidos, indico ebore, vel prima nive candidiores; ut longos ac graciles digitos magnae lucentesque gemmae incidunt!

Quid, quod comam habet scitissime a tonsore magistro rotundatam, madentem odoratis oleis et cerussa; indumenta serica, subserica, holoserica, quarum quotidie mutat colores et formam?

Quacunque pergit, h̄ic pullulare rosas, fluere balsama, nasci seplasiam dices: tam bene olet unguenta, ut male quid olere suspicer; atque quum talis ipse sit, quid mirum si, ut pavo conchatis caudae voluminibus et versicolore plumarum amictu superbiens, se frequenter intuetur, cervicem rotat, gradum frangit, et sic in vicis ambulat, ut personatus rex, in tra-

goedia spectans frequenter an ipse spectetur?

Si quando venit in forum, eam partem maxime frequentat, in qua sunt argentario mensae, ut se multitudini quasi venustissimam imaginem a pictore nuper expressam, spectandum praebeat; per ea se loca ventilat, in quibus frequentes ephborum et virginum chori, a quibus maxime vult conspici et laudari. In theatro autem et spectaculis iuxta ipsos praetores sedet, quo facilius omnium oculos in se convertat.

Domus illi est elegans et amoena, atrium picturis refertum, horti voluptuarii, coenationes laqueatae, in quibus aurei lacunaris fulgori pavimentorum respondit nitor. Lauta et munda supellex, splendida toreuma, tapetes persici et mirabilium rerum figuris intexti; libros, quos nunquam legit, lucentes auro structurae vestiunt. Praeterea passim in eius aedibus videas cantillantes aviculas, garrientes picas, loquentes psittacos, ludentes simias; et si lubeat interius cimelium penetrare, ostentabit mathematicum choragium, speciosarum ferarum exuvias, peregrinarum ossa belluarum, canadienses arcus, sagittas indicas, versicolores lapillos, marinas conchas, mannos textiles, mera puerorum crepundia.

In congressu totus est melleus. Salut blande, comiter amplectitur: prehendit manus, tractat auriculas, mulcet capillos, suum filiolum, suum mel, suum corculum identidem appellans.

Ad coenam invitatus, hospitem rogat ut filios evocet; quibus ingredientibus, negat ficum ficui tam esse similem, quam illi sint parentibus. Mox eos sibi assidere iubet, osculatur, colludit. Quod si quando inter disceptantes electus fuit arbiter, lites primum audiet magna facilitate, tum dicet: «Videtur uterque recte ratiocinari».

Amicis curiosa munuscula saepe missitat; et rogatus ut aulam beneficio cuidam

spectaculo commodet, libenter facit; dein inter spectatorum, ut solet, conspicuus, assidentibus crebro dictitat hanc suam aulam esse.

Sic anonymous, cui eo libentius morem gessi, quod apprime ex Theophrasto, etc., nobis imaginem satis perfectam exhibuit recentis divitis illius valde nunc communis, cui novello vocabulo - ex nupero enim bello provenit - «cetarii canis» nomen vulgo indidimus.

**

Viola martia.

Haec humilis per terram repit fragariae modo, folia fundens a radice multa, lata, oenosa, per ambitum leviter serrata, hederae foliis minora, rotundiora, tenuiora, nigrioraque, praesertim parte superiore, inter quae medii exeunt pediculi tenues, teneriusculi, singuli singulos flores ferentes pulchros, odoratos, colore in nigro purpureos, nonnunquam pallidiores, nonnunquam candidos, ex quinque foliis compositos, ac deinde pensiles folliculos vasculave rotunda per maturitatem in tres partes dehiscentia, semen minutum, album, in rotunditate oblongum, miliaceum, medullosum complectentia. Radices tenues sunt et fibratae.

Venustum hanc descriptionem anonymous nullus mihi suppeditavit; sed Rovillii *Plantarum historia*.

**

Iocosa.

Tuccius cum patre veterem amicum convenit, qui salutationem insequenti die reddit. Cui Tuccius:

— Quaeso, nonne potio arabica erat, quae heri nobis te visitantibus pro tua humanitate obtulisti?

— Evidem erat.

— Diespiter! Et pater affirmabat sordidam tantum aquam esse!...

Magister postquam grammaticen explicavit, in tabula scripsit: «Sum - Fui - Ero», interrogatque Tuccium:

— Eia, ubinam est futurum tempus?...

— Futurum?

— Futurum, inquam.... Ubinam invenieris?

Tum Tuccius prompte:

— Futurum ehu invenire nequimus nos: est enim in gremio Iovis!...

**

Aenigmata.

I.

Quum prior est moerens, praebet quod recreat [alter.]

Temperat in *toto* strenuus a lacrimis.

II.

Imbellem sustento senem, regumque perorno Dextras; et proprio decoravi nomine claros Ipse duces, Romae qui magna dedere tropaea.

(Aenigmata in superiore fasciculo proposita his respondent: 1] vulgo *rebus*: O ter quaterque beati, qui in abiectione sunt; 2] *Lepus*, *Lex*, *Supellex*).

IOSFOR.

LIBRI RECENS DONO ACCEPTI

ALAFRIDUS BARTOLI. *Oratio in magno Melitensi athenaeo XVI Kal. Ianuar. MCMXX habita*, quo die Herbertus Plumer et Philipus Sciberras legum doctores honoris causa sunt renuntiati. — Melitae, ex typis Ioannis Critien, MCMXX.

IOANNIS FRATINI. *Epigrammata tempore belli et pace albescente exarata* (MCMXV-MCMXIX). His accedit eiusdem Auctoris carmen nunc primum editum. — Recineti, ex Symboliana, MCMXIX.

V. PORTARO. *La dottrina del Logos in S. Giustino, e sue fonti*. — Bronte, ex offic. typogr. Sociali, MCMXIX.

VITA RUSTICA

Vincentio De Christo

Rerum nostrarum scriptori amico optimo.

Agrestem celebrare iubes me carmine vi-
tae agrestis scriptor amico optimo. [tam,
Optime Vincenti, moresque referre pudicos:
Integer ingenuos homines miraris et ipse,
Eximiosque viros et facta domestica primus
Olim narrasti patrio devinctus amore.
Eque mea dicit patria primordia pagus¹
Ipse tuus: nostram gentem vis versibus or-
[nem?
Incipiam; tenui carmen modulabor avena,
In viridante toro, gelidam prope fluminis
[undam.
Olim squalebat morbo mea terra maligno,
Aegraque pallentes agrestes membra trahe-
[bant;
Nam vitiata feris spirabat saltibus aura.
At Princeps Calabras Ligurinus devenit oras,
Advocat agricolas, ac montes dicit in altos:
Convenere simul gentes de finibus, atque
Surrexere casae paleis et arundine textae:
Haec rigat ante pedes loca nimbifer Appen-
[ninus,
Qui bona circuitu longo complectitur arva,
Latior unde patet Siculum prospectus in ae-
[quor.
Iam rubus atque filix sterilis simul arva te-
[nebant,
Cum Princeps docet agricolas: partitur in
[omnes
Desertos campos, iubet et proscindere terram.
Felices veniunt plantae, labentibus annis;
Aequora iam late silvis umbrantur opacis,
Dum crescunt passim trunci pallentis olivae;

¹ Hunc pagum, qui primum « Casalnuovo » et postea « Cittanova » appellatus est, Hieronymus Grimaldi, Ligurinus princeps, condidit: agricole quidam, qui « Cortoladi » vicum ad Radicenam urbem incolebant, primi habitan tes fuerunt.

Palmitibusque rubent aestu fervente racemi,
Arvaeque propter aquas citreis sunt consita
[malis.
Praediolum sibi quisque tenet runcatque co-
[litque,
Atque rubis hirtam coepit praetendere sae-
[pem:
Tecta casae surgunt et amoenis hortulus um-
[bris;
Hic lactuca viret, radices, allia, caepae,
Rapula, foeniculum, sonchus, nec oluscula
[desunt:
Dat Pomona, Ceres sua munera grata colono.
Contentus parvo casta cum coniuge vivit
Villicus exercens inulta ligonibus arva.
Vere novo, variis rident cum floribus agri,
Tauros submittit glebasque resolvit aratro:
Illicet incumbit campis, ac semina iactat.
Interea volucres mulcent concentibus auras,
Huc illuc volitant, et amant, et pabula qua-
[runt,
Ac stipulis muscoque simul cunabula texunt.
Herbis pastor oves, teneros bona vilica pullos
Seminibus pascit, nigros et furfure porcos.
Haec gradiens suavi modulamine personat
[arvum,
Ille sedens humili carmen meditatur avena.
Foetibus autumnus variis gravis advenit atque
Agricolae referunt iam praemia iusta labo-
[rum.
Mitia poma legunt alacres Octobribus horis,
Atque premunt pedibus musto spumante ra-
[cemos.
Folliculisque zeae spicas spoliare comantes
Festinant, baculoque terunt flaventia grana.

(Ad proximum numerum).

FRANCISCUS SOFIA-ALESSIO.

FORNARI. Dr. IOSEPHUS, Sponsor.

ROMAE. - TYPIS POLYGLOTTIS VATICANIS.

C. DEL VECCHIO.

SINGULIS M